



vero corpus quiescens magis resistat velocitati magna quam parvae? Esto enim dari in corpore positivam vim inertiae, qua corpus status sui mutationi resistat, quod in allata ratione poni videtur; qua sive ratione sive experientia constat celeritati majori magis a corpore solido & quiescente, quam minori resisti? Crescit equidem crescente celeritate resistentia medii, eo quod partes medii magis comprimuntur, adeoque ob majorem densitatem magis resistunt, nec tam cito cedere ac locum facere possunt corpori majori velocitate moto, at vero corpora solida si perfecte elastica sunt, etsi vi sua elastica resistent, habent tamen suae compressionis limites, nec vis illa infinita est, aut se ipsa intendere potest, poterit igitur dari celeritas, quae resistentiam quiescentis superet; idem est in duris, cum & in his vis resistens limitata sit. Non solvitur difficultas dicendo, Deum qui juxta **CARTESIUM** solus est causa motus (quod quidem nec impugno nec probo) Deum inquam eam tulisse legem ut nec ad velocitatem majorem nec ad minorem corpus quiescens moveat; cum lex ista experientiae repugnet.

§. V.

LEX V. Si unum Corpus directe incurrat in aliud minoris massae & in quiete positum, ambo post ictum secundum directionem impingentis aequa celeritate moventur.

CRISIS. Verissima lex est in non elasticis uti constat (ex §. 5. cap. I. p. II.) at in elasticis fallit; horum